



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas**

**Reding, Augustin**

**[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.**

§. III. Primatum & Metropolitanorum dignitas in Gallia præsertim,  
ostenditur orta fuisse à Romano Pontifice cum perpetuâ & debitâ ab hisce  
dependentiâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38717**

itur omnia, subrogatum, ut nihil omnino restare videretur, nisi ut Deo nostro gratias agentibus Nobis, atque gaudentibus, sine strepitu, quod Catholicis in defuncti ministerium successisset Antistes, Apostolicæ quoque moderationis assensu votivam sumeret firmitatem, &c. Hoc igitur, quod restabat, erat necessarium ad firmitatem electionis, scilicet Apostolicæ moderationis assensus.

28. Prætermitto ordinationes autoritate Summorum Pontificum in Patriarchalibus Sedi- bus factas, vel suspensas, & alia subjectionis signa. Illud tantum addo, in quo exhibetur velut typus Constitutionis Patriarchalium Dignitatum. Quando in Generali Concilio Lateranensi sub Innocentio III. facta est unio Græcorum cum Ecclesia Latina, quæ occasio postulabat, ut Græci à Latinis humanissimè haberentur, non aliter confirmata est Patriarcharum dignitas, quam adjectâ conditione de certificatione superioritatis Romanæ Sedis, ut habet cap. 5. illius Concilij Decretorum, cuius sunt hæc verba; Antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovantes, sacra universali Synodo approbante, sancimus, ut post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet Principatum, ut pote mater universorum Christi fidelium, & Magistra; Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, servatâ cuilibet propriâ Dignitate, ita quod postquam eorum Antistes à Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officij Pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ juramento, licenter & ipsi iussu Suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsonem obedientiæ ab eisdem.

### §. III.

Primarum & Metropolitanorum dignitas in Gallia præsertim ostenditur orta fuisse à Romano Pontifice cum perpetuâ & debita ab hisce dependentiâ.

29. Auctor sæpe nominati tract. de libert. Ecclesiæ Gallicanæ lib. 8. cap. 5. hæc de re ita disserit. Primates illos, qui olim in varijs Galliarum partibus à Romano Pontifice ad vitam duntaxat constituebantur, suam ab eo jurisdictionem habuisse, nemo dubitabit, qui constitutionis formam attenderit. Nam vicariâ tantum autoritate pollebant, ut expressè docent Summorum Pontificum epistolæ, quibus illa concedebatur. Sic S. Remigius à Papa Hormilda, vel ut alij volunt, à Symmacho in Regno Clodovei recen- ter ad fidem conversi; sic Arelate Cælarus à Symmacho; Auxanius & Aurelianus à Vigilio; Sapaudius à Pelagio I. Virgilius à Gregorio Magno, sic alij ab alijs in Gallia constituti sunt Vicarij Apostolici, & S. Bonifacius in toto Regno à Zacharia, ut ex Summorum illorum Pontificum epistolis constat. Ubi autem primatus non personæ, sed Sedi, sive personæ pro successoribus datus est, ut Archiepiscopo Lugdu-

nensi in quatuor Provinciis Lugdunensibus, quæ sunt Lugdunensis propriè dicta, Rothomagensis, Turonensis, & Senonensis, non ideo minus debetur hæc Dignitas sanctæ Sedis autoritati, quia cum ampliori favore concessa fuerit.

### ARGUMENTUM I.

Quo ostenditur omnimodæ dignitatis sive Patriarchalis, sive Metropolitanæ Ecclesiasticæ derivatio facta ex plenitudine Sedis Apostolicæ.

Præcitatus Auctor dicto cap. 5. n. 2. demonstrat hoc ex sequentibus autoritatibus. Divus namque Bernardus epist. 13. sic disserit. Plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias singulari prerogativâ Apostolicæ Sedis donata est; qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationem resistit. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dixerit, ita ut de Episcopis create Archiepiscopus liceat, & e converso, si necesse visum fuerit. Eam potestatem Iacobus de Themiis Abbas Carolioci ejuſdem Ordinis Cisterciensis magis explicat in Tract. contra impugnatores exempti. & privili. Possit, inquit, facere ex certa, & rationabili causa, quod in aliquo Regno, vel in regione, ubi sunt Patriarcha, Primates, & Archiepiscopi, non esset Primas, nec Archiepiscopus, nec Patriarcha, ita quod omnes Episcopi sibi immediatè subsissent. Et de Primatibus quidem disquisitio tantæ utilitatis non est, cum in Gallia, præter Lugdunensem, qui appellationes ab alijs Provincijs etiamnum recipit, ceteri vel in sua tantum Provincia eo jure utantur, vel solo Primatis titulo sine ulla jurisdictione gaudeant.

Meropontanorum dignitas antiquissima quidem est; à Christo tamen immediatè instituta nullibi legitur in sacris Scripturis. Apostolos illius auctores extitisse, plerique conjiciunt, ex quibusdam novi Testamenti locis, præcipuè ex potestate à B. Paulo traditâ B. Tito discipulo suo, Episcopos, quos nomine Presbyterorum intelligit, per civitates constituendi: quod Metropolitanis munus est. Cujus rei gratiâ reliqui se Creta, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut ego constitui tibi. Tit. 1. Christus solum Petrum, ceteris Apostolis præpolluit. Itaque nemo ceteris Episcopis jure Divino præest nisi Petri successor.

Nihil autem opus est, modò quaestiones illas agitare, utrùm illimitata reliquorum Apostolorum Jurisdictio fuerit tantum delegata, an ordinaria? Utrùm ex consensu tantum B. Petri Episcopos Provincijs integris præfecerint? Utrùm sic præfectorum Episcoporum successores potestatem ordinatæ serie accepisse conseantur ab ipsis Apostolis? cum manifestum sit (ut verbis utamur S. Innocentij I. epist. 1. quæ est ad Decretum Eugubinum Episcopum) in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, Insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesi-

33. fias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerint sacerdotes.

Metropolitancam dignitatem à Romana Sede in Gallia institutam fuisse, cum non esset, ex eo etiam colligitur, quod ab ea illic restituta est, cum defecisset. Cum enim per annos ferè 60. nullos habuisset Metropolitanos Regnum illud, licet extarent adhuc Metropolitanicæ Sedes seu Ecclesiæ in primarijs Provinciis civitatibus, implorata est Zachariæ Summi Pontificis auctoritas, qui eam illis dignitatem restauravit per S. Bonifacium, ut ex utriusque litteris constat, idque juxta preces Principum Pippini, & Carlomanni; Franci (verba sunt S. Bonifacii ad S. Zachariam) ut seniores dicunt, plusquam per tempus 80. annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, &c. Sanctus autem Zacharias scribit ad S. Bonifacium; De Episcopis vero Metropolitanis, id est, Grimone, quem nos jam comperit habemus, & de Abel, & Arberto, quos per unamquamque Metropolim per Provincias constituisti, hos per tuum testimonium confirmamus, & palia dirigimus, ad eorum firmissimam stabilitatem, & Ecclesiæ Dei augmentum, ut in meliori proficiant statu.

ARGUMENTUM II.

Prioris continuativum ex præfatio Auctore à n. 6.

34. Principio quidem, cum à Romano Pontifice ordinabantur Metropolitanis, non ita facile ab istorum animis deleri poterat memoria receptæ ab illo auctoritatis: sed coegit locorum distantia, ordinationem vel Episcopis comprovincialibus, vel viciniore Metropolitanis permittente, ut de Metropolitanis Mediolanensi & Aquileiensi testatur Pelagius I. in epistola, cujus fragmentum refertur à Gratiano 24. quæst. 1. Can. 33. Nempè is mos antiquus fuit, ut, quia pro longinquitate, vel difficultate itineris, ab Apostolico onerosum illis fuerit ordinari, ipsi se invicem Mediolanensis, & Aquileiensi ordinari Episcopi debuissent: ita tamen, ut in ea civitate, in qua erat ordinandus Episcopus, alterius civitatis Pontifex occurrere debuisset; ut & ordinandi electio à proprio Ordinatore, ex consensu universalis, cui præficiendus erat, Ecclesiæ melius ac facilius potuisset agnosci, & in sua, qui ad Episcopatum provehendus erat, nec tamen Ordinatori suo subdendus fuerat, ordinaretur Ecclesiæ. Hanc tamen concessionem postea Sedes Apostolica revocavit, ut ex S. Gregorio Magno ediscimus. Sic enim scribit epist. 31. lib. 1. Obiitum Laurentij Ecclesiæ Mediolanensis Episcopi Excellentiam vestram jam credimus cognovisse: & quia, quantum ex Cleri relatione didicimus, in Constantio filio nostro Diacono ejusdem Ecclesiæ, omnium consensu electio, necesse fuit pro servanda consuetudine militem Ecclesiæ nostræ dirigere, qui eum, in quo omnium voluntates, atque consensum concorditer convenire cognoverit, à suis Episcopis, sicut veteri mos exigit, cum nostro tamen assensu faciat consecrari. Et lib. 2. epist. 68. quæ est 29. indictionis undecimæ: Latorem præsentium

Ioannem Subdiaconum nostrum ad hoc, Deo favente, transmisimus, ut electum vestrum suâ imminentiâ Dei omnipotentis solatio secundum morem prædecessoris ejus faciat Episcopum consecrari. Nam sicut ab alijs nostris exigimus, ita singulis sua jura servamus. Deniq; epist. 65. lib. 8. quæ est ad Mediolanenses: Ut igitur in ordinando eo, qui à vobis electus est, nulla possit mora contingere, Pannaleonem Notarium nostrum transmisimus, qui eum, ut moris est, annuente consensu nostro auctoritate faciat consecrari.

35. In Illyrico Vicarius Apostolicus, Episcopus scilicet Thessalonicensis, Metropolitanos ordinabat, & ab eis consolebatur in singulorum Episcoporum ordinatione, ut ex pluribus Summorum Pontificum litteris edocemur, præsertim è S. Leonis epistola ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, ad quem sic scribit: Nullus te inconsulto, per illas Ecclesias ordinetur Antistes: ita enim fiet, ut sint de eligendis matura consilia, dum tua dilectionis examinatio formidetur. Quisquis vero à Metropolitanis Episcopus contra nostram præceptionem præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos statum sui noverit esse firmitatem, eoque usurpationis suæ rationem, qui hoc præsumperit, redditurus. Singulis autem Metropolitanis, sicut potestas ista committitur, ut in suis Provincijs habeant ordinandi, ita eos Metropolitanos à te volumus ordinari. In Synodo Rom. collect. Holsten. n. 24. vide etiam epist. 84. ejusdem Sancti cap. 6. Ex qua epistola, & ex alijs ejusdem, ac subsequenium Pontificum apertissimè constat, totam Episcopi Thessalonicensis in reliquos Illyrici Metropolitanos auctoritatem à Romano Pontifice pependisse, non ab illo imaginario Patriarchatu, quem ei affinxerat Petrus de Marca lib. 6. de Concord. sacerdot. & Imper. cap. 5. n. 3. quod se alibi accuratè explicare asserit, quodque potius improbare videtur in dissertatione de Primatu Lugdunensi, & cæteris Primatibus, quæ adjuncta est à Philippo Labbe Concilio Claromontano sub Urbano II.

36. Hoc jurisdictionis suæ exercitium, & auctoritatis signum in Illyrico sibi reservandum duxit Romanus Pontifex, veritus fortasse, ne accideret aliquando, quod re ipsâ tandem contigit, ut Episcopus Constantinopolitanus Imperatorum potentia partem illam Patriarchatus Occidentalis, Constantinopoli, quàm Romæ viciniorem, invaderet. In alijs autem Occidentis Provincijs, in quibus similis usurpatio non timebatur, quibusque propter distantiam promptè providere non poterat Ecclesiæ Romana, permissa est, ut diximus, Metropolitanorum ordinatio Episcopis comprovincialibus, aut Metropolitanis vicinioribus.

CONCLUSIO.

37. Sublimiores Episcopatu præeminentiæ seu Patriarcharum, seu Primatum, seu Metropolitanorum & Archiepiscoporum derivantur ex constitutionibus Ecclesiasticis, à Summorum Pontificum auctoritate dependentibus.

Xyy 2

Expli-

Explicantur istarū Ecclesiasticarū præmi-  
nentiarū speciales prærogativæ. Nam in pri-  
mis Patriarchæ nomē sonat perinde, ac si dice-  
retur Pat̄r Princeps, uti ex Isidoro dicitur in  
*cap. Cleros. §. Patriarchæ. Dist. 21. Quare Patri-*  
*archæ non dignitate duntaxat, sed etiã potesta-*  
*te, ac jurisdictione sūt majores cæteris. Eccle-*  
*sia Prælati. Arg. Cap. Antiqua. De privilegijs.*  
*Cap. Exigit. & Cap. Felicit. De censibus. in 6. Si-*  
*quidem ad ipsos post Apostolicam sedem re-*  
*ferenda sūt Episcoporum omnium, & Archie-*  
*piscoporum negotia, ac causæ majores. Cap.*  
*1. dist. 80. Et ideo habendi sūt Ordinarij omni-*  
*um sui districtus Archiepiscoporum & Episcoporu-  
m, à quibus jure recipiant appellationes, potun-*  
*turq; prærogativã, non tantã in suo Patriar-*  
*chatu (sicuti Archiepiscopi) pro sua duntaxat*  
*provinciã concessum est) sed ubique, extra*  
*præsentiam Summi Pontificis, ejusve Legati*  
*de latere, præferendi Crucem. Ex cit. Cap. An-*  
*tiqua, & Clement. Archiepiscopo. De privilegijs.*

38. In hoc Patriarcharum censu veniebant o-  
lim quatuor, Constantinopolitanus scilicet,  
primum locum obtinens propter Imperato-  
rum Græco-um Constantinopoli residen-  
tiam, Alexandrinus, Antiochenus, & Hie-  
rolymitanus. Qui enim præter istos gau-  
dent titulo Patriarcharum nempe Aquile-  
iensis, Venerus, nec non Inzarum, ac Aethio-  
piæ, minimè potiuntur pari cum illis privile-  
giorum prærogativã, sed ipsorum jurisdic-  
tio, & auctoritas vel ex specialibus indultis Apo-  
stolicis, vel ex consuetudine singulorum lo-  
corum determinanda est; veluti Ludovicus  
Engel *cit. tit. 33. n. 24.* advertit.

39. Deinde Primatus nomen inter Episcopos,  
obtinens nonnulli potentiores Archiepiscopi,  
obtinens Metropoles præcelliores alijs Ar-  
chiepiscopis. Primates hujusmodi non  
sunt ab similes Patriarchis minùs principalibus,  
non tam jure Patriarchatùs *superius* expo-  
siti, quàm titulo, cum speciali privilegio-  
rum prærogativã fulgentibus; si excipiat  
Archiepiscopus Toletanus, cui ex privilegio  
Martini V. eadem cum quatuor principalibus  
Patriarchis est potestas; uti refert Barbola  
*cit. cap. 6. n. 47. addens n. 48. ipsi cum Archie-*  
*piscopo B. acharense esse contentionem, quif-*  
*nãm eorum sit Hispaniæ Primas: dum cæte-*  
*roqui in Gallia Archiepiscopi Bituricensis,*  
*Rhemensis, Lugdunensis, Arelatensis, &*  
*Viennensis, in Hungaria Strigonensis, in Po-*  
*lonia Gnelnensis, in Angliã Cantuarientis, &*  
*in Africa Carthagenensis, in Germania olim*  
*Magdeburgensis, nunc verò Salisburgensis*  
*Archiepiscopus, gaudet istã prærogativã,*  
*quæ non tam est Juris Communis, quam con-*  
*suetudinis, seu privilegij Apostolici.*

40. Porro Archiepiscopus comparatus ad su-  
am Diœcesin, eadem sortitur jura, ac Episco-  
pus: at in comparatione ad Episcopos Suffra-  
ganeos, eorumque Diœceses, potitur juribus  
proximè exponendis. Nomen igitur Archie-  
piscopi derivatur ex idiomate græco, in quo  
nomen Achos primum seu Principem deno-  
tat; perindeq; sonat, ac si diceretur *Princeps E-*  
*piscoporum.* Altero in super vocabulo appelli

solet Metropolitanus, hæc denominatione de-  
sumpta vel ex mensurã civitatum, nam jux-  
ta *Epist. 1. Pelagij 11. relatum in Cap. Scitote. 6.*  
*q. 3. consuetum erat, ut Archiepiscopus de-*  
*cem, aut duodecim civitates sub se contine-*  
*ret. Placet tamen Barbola Juris Ecclesiæ,*  
*univers. cit. lib. 1. cap. 7. quòd Metropolitanus*  
*denominatio petaturã matrice Civitate, quæ*  
*fit Metropolis, nempe Civitas illa, quæ Pro-*  
*vinciæ caput exultat, sitque Sedes, ac Diœ-*  
*cesis Metropolitanus, sive Archiepiscopi. Hinc*  
*in Archiepiscopo distinguere oportet, tum*  
*Diœcesin sibi perinde ac Episcopo subjectam,*  
*cujus jura inferius explicabuntur, tum Archi-*  
*diœcesin quæ est collectio cunctarum Diœ-*  
*cesium in unam quasi provinciã coadunata-*  
*rum, ut earundem post Summum Pontificem*  
*( & in Græciã olim etiam post Patriarcham )*  
*esset caput & Princeps, cui subicerentur ca-*  
*rundem singuli Episcopi, Suffraganei disti-*  
*propterea, quòd oporteret, ipsos suffragani*  
*Archiepiscopi, adjuvando ipsos in conde-*  
*rationibus, vel Concilijs Provincialibus, a-*  
*hijque publicis provinciæ causis Ecclesiasticis.*  
*Ha igitur cunctæ seu Metropolitanorum,*  
*seu Archiepiscoporum, seu Primum & Pa-*  
*triarcharū præminentia pendet ex consti-*  
*tutionibus Summorum Pontificum.*

#### PROBATIO I.

Ab inductione talium præminentia-  
rum ex constitutionibus Pontificis  
dependentium.

Nulla equidem in substantia Ordinis Epi-  
scopalis est Archiepiscopi eminentia, qui  
reliquis Episcopis præminet, ad majores  
tamen officij dignitatem, sublimiori jure  
Episcopus Suffraganeos, earumque Diœ-  
ceses, ac subditos jurisdictione condecoratum,  
singularis honoris signo denotandam, à Sum-  
mo Pontifice conceditur ipsi Pallium, quod  
potiebantur olim quatuor Orientis Patriar-  
chæ, ipseque Summus Pontifex etiam, im-  
pote præter Oecumenicum totius orbis Chris-  
tiani Principatum, præfulgens etiam titulo  
Archiepiscopi Romani, imò & Occidentali-  
um patriararchæ.

Unde Pallium hoc rectè definitur à Lu-  
dovico Engel *cit. tom. 1. lib. 1. tit. 8. esse singula-*  
*re ornamentum desumptum ex corpore Divi Petri,*  
*à Summo Pontifice datum Archiepiscopi, designat*  
*plenitudinem pastoralis Archiepiscopalis officij.*  
Hoc pallium ex ovium lanã conficitur ad sig-  
nificandam pastorem sollicitudinem, conde-  
cratumque à Summo Pontifice, defertur ad  
altare Divi Petri, in memoriam corporis ibi-  
dem requiescentis, indeque traditur Archiepi-  
scopis, seu ipsorum procuratoribus: hæc est  
causa, cur secundum Canonem *Significasti. 4.*  
*De elect. ejusmodi pallium dicatur desumptum*  
*ex Corpore Divi Petri, veluti explicat Glossa*  
*in dist. Cap. Significasti.*

In quantum verò pallium hoc dicitur de-  
signare plenitudinem pastoralis officij, oportet,  
illa verba saltem respectu Archiepiscoporum, &

& Patriarcharum accipi in sensu *collectivo*, ita ut plenitudo pastoralis officij, quæ absolute soli competit Summo Pontifici, ex adjuncta voce *Tō Archiepiscopalis*, restringatur ad plenitudinem huic officio commensuratum, & circumscriptam limitibus *inferius* exponendis. Sub hâc ipsâ nihilominus loquendi formulâ speciale quid denotatur, quod nempe Archiepiscopus suæ dignitatis officio fungi non possit, priusquam receperit pallium, ita ut, licet confirmatus & consecratus esset, ante pallij de Summi Pontificis manu receptionem neque Archiepiscopus nominari debeat, neque ea, quæ Archiepiscopalis officij sunt, exercere valeat. *Ex cap. 3. De Autoritate & usu pallij.* Imò ne illa quidem Ordinis Episcopalis munia, quæ vel inter Missarum solemnità, vel cum Pontificalibus ornamentis peraguntur, veluti sunt confectio Chrysmatis, consecratio Ecclesiarum, ordinatio Clericorum, exercere debet ante receptum Pallium, eò quòd videtur illhæc facere non quâ simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus. *Ex Cap. Quod, sicut. 28. §. Praterèa. De elect.*

44. Verùm quoad Jurisdictionem, fas est Archiepiscopo confirmato, exercere actus, Episcopali officio universim competentes, non verò actus, qui proprij sunt Archiepiscoporum, velut sunt visitatio provinciarum, celebratio Concilij Provincialis. Et hinc quamvis Archiepiscopus ante acceptum pallium (uti *superius* dictum est) ordinare non valeat, nihilominus (si confirmatus jam obtineat jurisdictionem Episcopalem) alteri Episcopo delegare potest, ut subditis suis conferat sacros Ordines, eò quòd talis delegatio non fit exercitium Ordinis, sed *jurisdictionis*. *Ex cap. Suffraganeus. 11. De elect.*

45. Insuper quoad usum Pallij, hoc discriminis est in Summo Pontifice & Archiepiscopo; quòd ille solus, utpote in absolutam pastoralem pro Universâ Ecclesia officij plenitudinem semper & ubique inter Missarum solemnità utatur pallio. Verùm Archiepiscopis in partem duntaxat pastoralis, respectu particularium Ecclesiarum ac Diocesium in unam provinciam coadunatarum, *solicitudo* vocatis, non nisi in festis principalioribus, seu Ecclesie proprijs, sicut etiam in anniversarij suæ Consecrationis, ac Clericorum Ordinationibus, seu Ecclesiarum Consecrationibus uti licet pallio, juxta *Cap. 4. & ult. junctâ Glossâ dicto rit.* Neque citra speciale privilegium, pallij gestatio extra Ecclesiam, id est, provinciam suam Archiepiscopo est permessa. *Ex Cap. Tuarum. 4. De usu, & authorit. Pallij.*

46. Archiepiscopo ù supereminens jurisdictionis est partim respectu Episcoporum Suffraganeorum, partim respectu Diocesum, & subditorum, sub istorum ordinariâ potestate consistentium. Archiepiscopus proinde est ordinarius iudex suorum Suffraganeorum. *Ex Cap. Quia cognovimus. caus. 10. quest. 3. Cap. Pastor. 15. De officio Ordinarij. Cap. Solicitudinem. De Appellatione.* Quamquam hujus ordinariæ in Suffraganeos Episcopos jurisdictionis exercitium valde limitetur per hoc, quod cum

Hosliensi in *Cap. 2. De translata. Episcop.* adfert Barbosa citatus; nempe Archiepiscopum nihil habere potestatis in Suffraganeos suos, nisi quatenus in jure expressum reperitur. Hoc nihilominus pro certo habendum est, quod extat definitum in sacro Concilio Tridentino *Sess. 24. De Reformat. cap. 15* ut *causæ criminales Episcoporum graviores tantum à Summo Pontifice, minores verò tantum à Concilio Provinciali, vel ab illo deputandis terminentur.* Id sacrum Cardinalium super negotijs Episcoporum, & Regularium deputatam Congregationem extendere etiam ad causas Civiles, testatur Barbosa *cit. cap. 7. n. 46.* In quo tamen, priusquam istud Congregationis sacre decretum exhibeatur in forma authentica, difficultatem rationibus minimè destitutam movet Ludovicus Engel *cit. tit. 33. n. 28.* Porro in casibus ad ipsius forum spectantibus potest Archiepiscopus adversus suos Suffraganeos ferre sententias, eâ tamen conditione, ut non statim procedat ad excommunicationis sententiam, ne Episcopus per hanc privetur jurisdictione non absque dispendio suæ Ecclesie; sed oportet, prius ipsi interdicti ab ingressu Ecclesie. Verùm Archiepiscopi Vicario, nisi ille apertè in remotis, ob reverentiam Pontificalis Officij prohibetur, ne contra Episcopos ferat sententias. *Ex Cap. 1. De officio Ordinarij. in 6.*

47. Quoad subditos, ac Dioceses Episcoporum Suffraganeorum, Archiepiscopus juxta *Cap. Pastoralis. De officio Ordinarij. Cap. Venerabilibus. De sentent. Excom. in 6.* nullam ordinariè obtinet jurisdictionem, nisi in casu Appellationis ad ipsum interpositæ, ac visitationis per suorum Suffraganeorum Dioceses peragenda. Quare Archiepiscopus non potest in primâ instantiâ judicare causas eorum, qui *immediatè* sunt subiecti dictis Suffraganeis. *Ex Cap. Duo simul. de officio Ordinarij. Unde Panormitanus in præct. Cap. Pastoralis n. 2. infert,* si Episcopus contra subditum suum moveat litem, non posse in causa etiam spirituali convenire ipsum in primâ instantiâ coram Archiepiscopo, sed coram arbitris utrinque eligendis, à quibus tamen, ceu juris arbitris necessarijs, datur tunc appellatio ad Archiepiscopum. *Ex Cap. Ab arbitris. 11. De officio delegati. in 6.*

48. Ne compellere quidem potest Archiepiscopus subditum sui Suffraganei, ut testimonium coram se dicat, sed ovesei, ut testimonium requirat per litteras *mutui compæctus*; nequit enim testis compelli, nisi à suo *immediato* iudice. *Cap. 1. §. Neque de foro compet. in 6.* Nihilominus ratione rei litæ, vel contractus, aut delicti, si nempe quis contraxit, aut deliquit in suâ Diocesi, vel res litigiosa intra hujus limites consistat, nullatenus dubitate licet, posse subditum Suffraganei etiam in primâ instantiâ conveniri coram Archiepiscopo. Verùm ex appellatione per Suffraganeorum subditos ad se devolutâ, uti etiam in provincie visitatione, acquiri Archiepiscopo jurisdictionem erga illos, constat ex *Cap. Romana. De Appellat. in 6. & Cap. In De censibus. in 6.* Ubi decernitur, Archiepiscopum visitando provinciam,

vinciam, posse audire in confessione Sacramentali subditos Suffraganeorum, illosque abolvere a censuris & casibus Episcopo suo reservatis. Ex *Cap. fin. De foro compet.*

49. In ipsum etiam Vicarium Episcopi Suffraganei, si delinquit in officio sibi commisso, vel impediatur causam appellationis ad tribunal Archiepiscopi delatam, vel utatur jurisdictione Episcopi sui excommunicati, vel non servet privilegia Sedis Apostolicæ, competere Archiepiscopo jurisdictionem, evincitur ex *Cap. 1. & Glossâ ibi verb. Rationabili. De officio Vicarii in 6.*

50. Cæterum modo quasi extraordinario, nempe in casu negligentia Episcoporum Suffraganeorum (uti restringendum censet Sylvester in *Sum. verb. Archiepiscopus*) posse Archiepiscopum criminâ notoria ab illorum subditis commissa, etiam extra visitationem punire, patet ex *Cap. 1. §. Sanè. De censibus. in 6.* Et hinc Archiepiscopus supplet negligentiam Episcopi Suffraganei etiam in hoc, quod iste denegat abolitionem, vel dispensationem ex æquitate debitam, seu ultimâ voluntatis executionem, sive institutionem præsentati à patrono; uti rectè advertit Engel cit. n. 1. Insuper injurias sibi, vel familiæ suæ, aut nuntijs, in jurisdictionis suæ exercitio à Suffraganeorum subditis illatas plectere, constat ex *Cap. 1. De pœnis in 6. Argumento legis nullum. Cod. de testibus. Ubi cuiuslibet iudici permissum est, injurias sibi illatas punire, ne coram alio iudice litigare cogatur.*

51. Archiepiscopis denique competit potestas tum præcipiendi suis suffraganeis, ut, quæ servat in sua Diocesi, modò sint fundata in iure Communi, vel sancita in Concilio Provinciali, serventur etiam per illorum Dioceses; impositâ etiam pœnâ illis, qui contraveniunt, sublatisque pravis contrarijs consuetudinibus, eò quod ad ipsum pertineat sollicitudo totius Provinciae. Ex *Cap. Dilectus. 30. De simonia.* Tum prædicationis officium in tota Provincia, atque adeo in Suffraganeorum Diocesisibus ex causâ rationabili interdicendi, malefactorumque promeritum extra universam Provinciam relegandi. Ex *Cap. Tuarum. De privileg. Cap. 2. De arbitrijs, juncto Commentario Barbosa ibi. n. 4.* Tum indulgentias in dedicatione cujuslibet Ecclesiæ unius anni, & in illius anniversario quadraginta dierum taliter concedere potest, ut profint etiam subditis Suffraganeorum ad eas lucrandas eò convolantibus, juxta *Cap. Cum ex eo. De pœnis. & remissionibus.*

#### PROBATIO II.

Desumpta ex Pallij Archiepiscopalis à sancta Sede recipiendi obligatione, nec non Metropolitanarum adversus suffraganeos inobedientes ad sanctam Sedem recursus necessitate per Auctorem præcitatum dicto *cap. 6. §. n. 3.* fultus deductâ.

52. IN Pallio namque, uti scribit Paschalis II. ad Archiepiscopum Poloniae apud Baronium ad annum 1102. plenitudo conceditur Pontificalis

officij, quia juxta Sedis Apostolicæ, & totius Ecclesiæ consuetudinem, ante acceptum pallium Metropolitanis minime licet aut Episcopos creare, aut Synodum celebrare. Consentientem ceteri Pontifices, ut S. Gregorius Magnus, cujus verba supra retulimus, & Nicolaus I. cujus sunt istæ: *Sanè interim non in throno sedentem (Patriarcham, vel Archiepiscopum) & præter Corpus Christi, non consecrantem prius, quam pallium à Sede Romana percipiat, sicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum Archiepiscopi agere comprobantur. Nicolaus I. in responsione ad consil. Bulg. cap. 73.*

Metropoliticae dignitatis confirmationem à Patriarchis pendere, ac pallium ejus confirmationis signum esse, supponit evidenter eadem Synodus Oecumenica his verbis *Capitulum 17. Priscam consuetudinem decernit in omnibus conservari, ita ut earum (Sedium Patriarchalium) Praesules universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per pallij dationem Episcopalis dignitatis confirmationem accipiunt, potestatem habeant, videlicet, ad convocandum eos, urgentem necessitate, ad synodalem conventum, vel etiam ad coercendum eos, & corrigendum, cum fama eos super quibusdam delictis forsitan acculerint.*

Cæterum Paschalis II. in epistola mox laudatâ suspicionem amovet, quam aliqui, ut Marca loco supra citato, concipiebant, pallij concessionem eò spectare, ut potentia retur Summi Pontificis auctoritas; aliter enim, nihil exigi, quod ab omnibus Episcopis non debeat, etiam si non requireretur; Quod non, etiam præter exactionem nostram, ab omnibus debeat Episcopis observari.

Nicolaus I. Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi privilegia Sedis suæ confirmari postulanti appositè respondet epist. ad. inique impugnari ab illo Archiepiscopo privilegia Ecclesiæ Romanæ, sine quibus consistere non possit Ecclesiæ Rhemenis privilegia; Privilegia præterea ab Apostolica Sede vestra Ecclesiæ confirmanda deposcitis, qui tamen nostra privilegia, quantum in vobis est, infringere satagitis. Porcum salutiferum, sanctam Romanam Ecclesiam appellatis, qui tamen in eo, ne aliqui salventur, quantum potestis, satagere procuratis. Quomodo, rogo, privilegia tua stare poterunt, si ita privilegia illa cassentur, per quæ tua privilegia in initum sanctissime noscuntur? Id ipsum agnovit ipse Rhemenis, quandoquidem scripsit ad Nicolaum Papam Favente Domino, in hac devotione manebō licenti, privilegium Metropolitanæ Sedis Rhemorum, cui me Divina dignatio servire disposui, in summo privilegio sanctæ Sedis Romanæ manere, & privilegium esse Sedis Romanæ, si suâ auctoritate privilegium sibi subiectæ Sedis fecerit vigere, & studuerit confirmare.

Deinde dum Metropolitanis negata est à Suffraganeis debita obedientia, invocata est Sedis Romanæ auctoritas, ut inde robur & auxilium acciperent privilegia Metropolitana, unde originem duxerant. Exemplum suppeditat epistola Ioannis XIII. ad Episcopos Britannia, hæc inter alia continens; *Arduinus Turonensis Ecclesiæ Archiepiscopus, ven-*

niens ad Apostolorum limina Romam oratum, interpellavit nos, quod jura sui Archiepiscopatus, quae ab antiquis temporibus per decreta sanctorum Pontificum sanctae Romanae Matris Ecclesiae suis praedecessoribus concessa, & confirmata fuerunt, a vestro Archiepiscopo sublata videntur, &c.

Sed, ut redeamus ad Metropolitanum Rhemensem. (Divina enim providentia illos ipsos, qui sanctae Sedis auctoritatem ægre ferunt, aut latari sunt, ad illam confugere non raro compellit, ut quam sponte agnoscere reculant, vel inviti fateantur.) Hincmarus, qui contra sanctam Sedem tam frequenter recalcitraturus erat, non aliter suam dignitatem securè possidere potuit, quam obtentâ Romani Pontificis confirmatione: & ne causari possent, adhibitam à se hanc cautelam ex prudentia ob privatam necessitatem; eâ occasione Summi Pontificis potestatem professi sunt omnes Episcopi Gallicani, ut perhibent acta secundi Concilii Suesonensis anni 853. parte tertiâ his verbis; Porrexit etiam (Hincmarus) epistolam totius Galliae Episcoporum manibus subscriptam ad Apostolicam Sedem pro confirmatione ipsius ordinationis.

S. IV.

Corollarium.

De imaginario molimine præficiendi Ecclesiae Gallicanae Patriarcham.

Non abs re fore arbitrabar, hic ob oculos ponere, quæ hanc in rem disseruit Author sepe citati tractatus de Ecclesia Gallicanae libertatibus lib. 8. cap. 4. Editis in lucem, inquit, duobus voluminibus Petri Puteani de Libertatibus Ecclesiae Gallicanae, suspicatus quidam ob doctrinam in illis contentam, & ob alia indicia consilium esse creandi Patriarchæ in Gallia, epistolam Paræneticam scripsit sub nomine Optati Galli ad omnes Episcopos illius Regni, ut huic molimini sese maturè opponerent. Exagitata est illa suspicio cum ab Isaacio Haberto Theologo Parisiensi, ac postea Episcopo Vabrensi, opusculo quodam stylo oratorio conscripto, tum ab Illustrissimo Petro de Marca libris de Concordia Sacerdotij & Imperij compositis. In sedit nihilominus plurium animis concepta de affectato Patriarchatu opinio, quam fovent subobscuri quandoque tumores. Vanæ quidem sunt eâ de re minæ, ac in flectendis ad præmittendum officium animis sapientum, quorum interest, minus idoneæ: quia tamen simpliciores hinc commoveri videntur, propius ad idealem illum Patriarcham admoventia est consideratio.

ILLATIO I.

Quibus ex talis Patriarchæ creatione aliquod inferri posset præjudicium?

Hoc præfatus Author à n. 2. ita prosequitur disquirendo; Cui metuendum esset ab illa

imaginario Patriarcha? Certè non Summo Pontifici, cujus auctoritas, cum Christum ipsum habeat authorem, nullis humanis machinationibus imminui potest ab ijs, qui in Religione Christiana perseverare statuerunt: Præsertim, inquit Nicolaus I. episc. 8. quæ est ad Michaelem Imperatorem, cum Ecclesia Romana privilegia, Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & à sanctis universalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari; quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus. Et quod Deus statuit, firmum, validumque consistit. Illeque potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia, inquam, illius Sedis, vel Ecclesiae perpetua sunt Divinitus radicata, atque plantata sunt. Impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt. Inlinuaverat eidem Pontifici Hermintrudis Regina Franciæ, Carolum Caivum Regem Sedis Apostolicæ jura impetratum, nisi quod optabat, à Papa conquireretur, aucturum verò, si compos fieret; sed intrepidè respondit Nicolaus ep. 36. Quod autem scripsistis, quia si exaudiamus filium nostrum, non detrimentum, sed augmentum Ecclesiae nostræ privilegia generetur. Nos certissime credimus, quia privilegia sanctae Romanae Ecclesiae nullum possunt sustinere detrimentum, nec plantatio, quam Caelstis Pater noster plantavit, eradicari, nec fundamenta, quæ Summus posuit Architectus, queunt quibuslibet, & quantislibet fluctuationibus amoveri. Epistolâ etiam 24. juxta aliam epistolam Gelasij ad Orientales; Privilegia sua, inquit, à Christo Ecclesia Romana per Petrum consecuta est.

Verisimilior esset timendi ratio Episcopis ipsis Gallicanis, si, quando in Principem æquitatis & religionis minus amantem, ac in Archiepiscopum urbis Regiæ ambitiosum, & Regis studio, atque auctoritate fultum inciderent, ne, instituto Patriarchatu, libertate Canonica, & magnâ propriæ dignitatis parte privarentur. Unde enim orta est Episcoporum Metropolitanorum, Exarchorum, ac denique Patriarcharum Orientalium depressio, nisi ab Episcopis Constantinopolitanis ambitionis alio percitis, & Imperatorum potentia armatis? A quibus etiam deinde totus Oriens in schisma, & demum in hæresim attractus est, homines scilicet carnales, dignitates Ecclesiasticas ex urbium amplitudine, ac Principum illic comorantium majestate, non ex Apostolorum, vel Ecclesiae primariâ dispositione metientes, putarunt, sicut civitates Regiæ cæteris præminent, ita qui in eis sedent Præsules, Coepiscopis posse dominari. Quâ in re ipsimet Coepiscopi eorum apud Principem gratiam modò metuentes, modò implorantes, propriæ servitutis colla partim spontè, partim inviti submiserunt.



itas  
dra  
olica

60.